Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2877
Quelle:
Copyright:

ctae Praefationis initialis *Albertum* III. dictum *cum Trica* Auſtriae Ducem, cui Verſio inſcribitur, confidentem exhibet, quatuor Viris, forſan pro Facultatum numero, libros illi tendentibus. Margines florulenti inſignibus Provinciarum illi parentium onerati ſunt, inter quae et *Zolleranum* comparet, quod *Albertus Beatricem Friderici* IV. Burggravii *Norimb.* filiam in ſecundo toro haberet. Quatuor picturae marginem inferiorem colluſtrantes primo *Urbanum* VI. P. M. *Alberti* legato Diploma de inſtituenda *Vindobonae* Facultate theologica tradentem, dein legatum Duci ſuo Diploma iſtud adferentem, mox Ducem ante Aulam academicam, ſcholasque a ſe extructas ſedentem, demum Theologum jam de pulpito diſcipulos docentem adumbrant, ut adeo Codex iſte egregium monumentum ſit Univerſitatis ſcientiarum *Vindobonenſis* ampliatae et ad ſtatum meliorem provectae. Quo enim anno Diploma memoratum datum, Statutaque et Privilegia ejus, quae omnia apud *Lambec. L. cit. p. 88. edit. Kollar. Analector. T. I. col.* 59. habes, ab *Alberto* Duce promulgata ſunt, eodem Scriptor noſter opus ſuum terminavit, teſte Praefationis epiphonemate: *Hie endet ſich di erſte furred in daz teuſche* Racional *geſchriben dem hochgepornen fürſten herzogen albrechte dem dritten ze Oſterreich et cetera Anno domini Milleſimo tricenteſimo LXXXiiii feria Quarta poſt dominicam palmarum.* Interpretis praefationem alia autoris ipſius excipit, cujus litera capitalis ipſum epiſcopi habitu ſedentem et ſcribentem exhibet, margine inferiori utriusque *pag.* collationem ſeptem Sacramentorum eleganti penicillo praeferente. Atque ita omnium VIII. Librorum frontes picturis decoratae ſunt. Ante II. Dux cum Uxore S. Triadem genuflexus adorat. Ante III. eques et armatus in Sigilli forma cum hac perigraphe comparet: *Albertus dei gracia dux auſtrie ſtirie et karintie &c.* Ante IV. Conjux uterque Sacerdoti ad aras facienti adgeniculatur. Ille torquem *tricae* inſtar collo geſtat, quam *tricam* cum Cygno in medio pictor etiam in margine lateris interioris expreſſit. Ante VII. demum rurſus Principes duo arae adſternuntur, quos ex adjectis inſignibus *Wilhelmum* Auſtr. cognomento *Aulicum*, ejusque uxorem *Johannam Duratiam* Caroli Hung. et Apuliae regis filiam credas. Codicem capitum Index claudit.

De Autore operis celeberrimi, quod ante Sec. XV. finem paene triceſies jam typis evulgatum fuit, adi *Alb. Fabricii Bibl. med. et inf. Lat. T. II. Patav.* 1754. *p. 68. 4.* Verſionis Gallicae exempla duo ex Regia Bibl. Pariſ. adfert *Montfaucon Bibl. Bibl. Mſſ. T. II. p. 785.* et 789. Germanicae noſtrae, quae dialecti Auſtriacae indagatori uberem meſſem polliceretur, meminit etiam *Clement Bibl. T. VII. p. 474.*